



1. Melchioris Schmidij Diss. de Linguis sacris. 1685.
2. Joh. Bernh. Hahn Diss. de appellatione Linguae Hebraeae, quae dicitur Sancta. 1712.
3. Joh. Henri. Honet Diss. de vocis quam Hebraei vocant ^{philia}. 1673.
4. Valent. friderici Diss. de filia vocis. 1670.
5. Henri. Liedert Diss. de mandato scribendi novum testamentum. 1719.
6. Joh. Henri. Lypij Diss. de usu Linguae Syriacae. 1726.
7. ejusdem de historia Linguae Sanctae. 1726.
8. Mich. Ghercke Diss. de fama Graecae Linguae. 1716.
9. Joh. Bernh. Hahn Diss. exhibens decadem observationum philologicarum, e Literatura Graeca, etc.
10. ejusdem, de appellatione Linguae Hebraeae, quae dicitur Sancta. 1715.
11. ejusdem, Diss. exhibens decadem observationum philologicarum e Literatura Orientali. 1715.
12. Bernh. von Salden Diss. de Aora, 1709.

DISPUTATIO THEOLOGICA, 49 95
DE
BAPTISMO
HÆRETICORUM,

Quam
SUB AUSPICIIS JESU CHRISTI BAPTISMI
VERI AUTORIS,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,

REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HÆREDE &c. &c. &c.

CONSENSU VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ,
IN INCLYTA, QUÆ EST, AD PREGELAM, ACADEMIA,
SUB PRÆSIDIO

VIRI MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI atq; EXCELLENTISSIMI
DOMINI

PAULI POMIAN PESAROVII.

S. Th. D. & Prof. Publ. celeberrimi, Fac. Th. h. t. Decani spectabili
Eccl. Cathedr. Past. vigilantissimi & Consiſt. Samb. Alieſi. gravissimi.

PATRONI, FAUTORIS, & PRÆCEPTORIS SUBMISSA MENTI

Veneratione ad cineres usque colendi,

Placide τῶν θεολογῶντων Συζητήσει submittit

Dissert. Autor

WILHELMUS WILCKE,

Memela-Prutenus. S. Theol. Stud.

Ad diem Junii Anno M DCCV.

IN AUDITORIO MAXIMO, H. C.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

VIROS
MAXIME REVERENDUM & AMPLISSIMUM
DOMINUM
M. BARTHOLOMÆUM

Goldbach /

Ecclesiæ Veteroppidanæ Pastorem, Consistorii Sambienfis
Assessorem, & Scholæ Veteroppidanæ Inspectorem.

ADMODUM REVERENDOS atque PRÆCLARISSIMOS

DN. M. JOHANNEM
QUANDT,

Ecclesiæ Palæopolitanæ Archi-Diaconum.

ET

DN. M. REINHOLDUM

Stürmer /

Eccles. Cathedralis Diaconum.

PLURIMUM REVERENDUM & DOCTISSIMUM

DN. FRIDERICUM Dehler /

Ecclesiæ Legittenses Pastorem.

ORTHODOXIÆ FULCRA,
ECCLESIAE LUTHERANÆ COLUMNAS,
MUSARUM FAVORITES,

PATRONOS SUOS SUSPICIENDOS

DISPUTATIONIS HUIUS THEOLOGICÆ INSCRIPTIONE

Humillime veneratur

Observantissimus cultor
WILHELMUS WILCKE,
Autor & Respondens.

PROOEMIUM.
DE CAUSA MINISTERIALI BAPTISMI.

Misericordissimus Pater, salutem omnium hominum quam cupidissimè sitiens, simul ac miserrimam hujus Mundi intuentur faciem, statim de medio sollicitus est, eos à peccatis in quibus sunt concepti, abluendi, qua de causâ Baptismum instituit, quo eos à peccatis originalibus mundet, albo gratiæ suæ inferat, & vitæ aternæ eos participes reddat. Hoc verò non immediate sed mediatè prosequitur, nimirum per Sacrum Ministerium, quo suo officio primò fungebatur Johannes Baptista, primus Baptismi Minister, ad quem propterea peculiariter verbum Domini factum Luc. III. 2. quique peculiariter à Deo missus est, ut baptizaret aquâ Joh. I. 32. Conf. Matth. III. 11. Marc. I. 8. Unde passim in Scripturæ Sacræ Locis nomine Baptistæ notatur. Matth. III. 1. c. XI. 11. 12. c. XIV. 14. c. XVII. 13. Marc. VI. 24. 25. c. VIII. 28. Luc. VII. 20. 28. 33. c. IX. 19. Quod munus Baptizandi deinde XII. Apostoli, LXX. Discipuli data ipsis à Christo auctoritate & potestate, ante Christi ascensionem in Judæâ continuerunt; post ascensionem verò universali promulgatione per omnem terrarum orbem divulgantur. Post Apostolorum, eorumque qui ex Salvatoris ore salutarem perceperant doctrinam verò tempora, transit munus hoc ad publicos eosque legitimè vocatos Ecclesiæ ministros, utpote quî Apostolorum successores sunt; quod enim Christus Apostolis injunxerat, dicens: Euntes docete omnes gentes, & baptizantes in nomine Patris, Filii, & Spir. Sancti, Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. id ipsis injunctum est, quare & dispensatores mysteriorum divinarum dicuntur 1. Cor. IV. 1. *Sic nos estimet quisq. ut ministros Christi & Dispensatores mysteriorum Dei. Episcopus enim domui suæ praeesse debet: qui enim domui suæ praeesse nescit, quomodo*

Ecclesie Dei curam habebit ? dicitur I. Tim. III. 5. Episcopus se gerat ut œconomus DEi Tit. III. 7. Ad quam dispensationem mysteriorum cum primis pertinent Sacramenta, ad διονομίαν verbum docere, Sacramenta administrare, & disciplinam conservare, in hâc διονομία os atque manus Deo accommodare debent. Quamvis autem juxta unanimum Ecclesiæ orthodoxæ consensum, munus baptizandi ordinariè competat Ecclesiæ ministris legitimè vocatis, non tamen quin extraordinariè, hoc est, in casu extremæ necessitatis, cui libet Christiano in articulis Christianæ religionis rectè informato, non publicos sed privatos inter parietes, citra sexus respectum baptizare permissum sit, inficias imus. Fulmina enim profecto sunt, quæ Christus dicit Joh. III. 5. Amen Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non poterit introire in regnum cælorum, qui igitur divinæ hujus promissionis ac comminationis verba Sanctiora habere didicerunt, potius certè medium hoc regenerandi in absentia Ministri ordinarii ab homine privato, suæ aut alterius proli applicari patientur; quàm ut non tinctam regno Christi exulem formidare vel de admissione ejus in illud tantillum saltem dubitare necessè habeant. Multis deinde etiam inductionibus è Sacrà Scripturâ depromptis potest corroborari sententiæ nostræ firmitas. Sic Zipora in casu necessitatis circumcidit filium, Exod. IV. 25. Tulit illud in diversoriò Sephora Petram acutissimam & circumcidit præputium Filii sui. Mulieres sub Tyrannide Antiochi 2. Macc. VI. 10. Due mulieres delatae sunt, Filios suos circumcidisse. Idq; quam optimè fieri potest; cessat enim communis ordo, ubi casus est necessitatis, ut dicitur in communi regulâ, Si enim privati homines, quibus ordinariè prohibitum est docere, nihilominus extraordinariè verbum DEi prædicare possunt, ut constat exemplo Fœminarum V. & N. T. Mariae Sororis Aaronis Exod. XV. 20. Annae Matris Samuelis 1. Sam. II. Deborah

Pro-

Prophetisse Jud. IV. 4. *Huldæ* 2. Reg. XXII. 14. *Hannæ* Luc. II. 36. *Priscillæ* Rom. XVI. 3. *Loidis & Eunices* 2. Tim. I. 5. III. 15. etiam baptizare in casu necessitatis illis licitum erit. Præstat enim infanti ex hoc mundo discedere volenti à Parentibus vel aliis conferre baptismum, quam infantem non baptizatum mori finire. Nec parum suffulciet praxis canæ antiquitatis, *Tertullianus* cap. XVII. de *Baptismo*, illis ipsis Laicis jus baptizandi esse dicit his verbis. *Alioquin & Laicis jusest (baptizandi) quod enim ex aquo ab omnibus accipitur ex aquo ab omnibus dari potest. H. I.* In Concilio Illiberitano quod antiquitate Concilium Nicœnum præcedit Can. 38. privatis hominibus in casu extremæ necessitatis baptizare jussum est. Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos, *Scimus, ait, licere Laicis baptizare, si necessitas cogat, ut enim accipit quis, ita & dare potest.* Conf. *Augustinus* Lib. II. contra *Epistol. Parmenii* cap. 13. Tom. VII. Col. 41. *Isidorus* Lib. II. de *Offic.* cap. 24. Hæc est recepta de Baptismo Laicorum sententia Veterum. Quare impia est *M. Caspari Movii Pastoris* Caunensis assertio; dixit namque Diabolum baptismum ad salutem conferre posse, & Psittacum baptizare posse, si modo manus haberet, eò quod loqui posset, de quo videri potest *D. Celestinus Mislenra* in *Movio Heretico* in *Præfat.* pag. 27. & 40. Item cap. VII. *Georgius Colbius* in *der Deductions Schrift vom Movianischen Unwesen* pag. 1. & 2. Diabolo enim statim terror incutitur cum nomen Dei audit, nedum ut ipse provocare possit Deum, & eò invocato baptizare. Sacramenta si à Psittacis administrarentur profecto profanarentur, cum Christus præcipiat: *Ne date quod sanctum est canibus, nec projicite margaritas vestras coram porcis* Matth. VI. 7. Dicitum itaque à nobis breviter ordinariè baptizare debere vocatum Ecclesiæ ministrum, extraordinariè verò baptismum etiam conferre posse Laicos, sed in casu summæ necessitatis; jam superest ut de

4 DE BAPTISMO

Baptismo ab Hæreticò administrato adjiciamus, an nempe in casu extremæ necessitatis & ab ipsis peti possit, & si ipsi baptismum administraverint, an ille pro legitimo an illegitimo sit habendus, quam controversiam in sequentibus divi-
nâ adjuti ope, discutiemus.

§. I.

Hæreticorum baptismum illegitimum esse, à quibuscunq; fuerit administratus, ideoq; promiscuè omnes & singulos sese convertentes denuo baptizandos esse, à Multis antiquis jam temporibus statuebatur. Primus qui in errorem huncce prolapsus est *Agrippinus* Episcopus Carthaginensis qui Anno Christi 217. floruit eundemque forte errorem ex *Tertulliano* hausit, qui *Libro de Baptismo cap. 14.* ita scribit: *non idem Deus est nobis & illis hereticis, nec unus Christus id est idem, ideoq; nec baptismus unus, quia non idem: quem cum ritè non habeant sine dubio non habent, nec capit numerari quod non habetur; ita non possunt accipere qui non habent.* Huic errori addicti fuerunt etiam Montanistæ, qui eos ex Ecclesiâ ad se transeuntes, tanquàm immundos denuò baptizabant. Hâc amulatione accensi *Novatiani* à *Novatiano* Presbyterò sic dicti, eosque de novò tingeabant, existimantes apud Hæreticos & extra Ecclesiam verum non posse conferri Baptismum. Mox assentiebatur *Donatus*, qui natione fuit Africanus ex *Numidiâ* oriundus, & vixit post annum Domini trecentesium, hic fuit eâ in opinione, non tam admittendum esse baptismum ab Hæretico administratum, quàm ne à flagitiosò quidem, aut si admittatur nihil tamen operari, sed omnem ejus *ἐνέργειαν* deficere, inefficacem esse & plane frustraneam. Baptismum enim metiebatur à dignitate vel indignitate administrantis, existimans si minister esset probus etiam Baptismum fore probum & salutarem, sin minus: nil profuturum, utut millies administratus & probissimo collatus fuerit homini, quâ de re vid. *Fossius*
de

de Baptismo Diss. 18. S. 4. p. 224. Qui error mox Patronos nactus, quique ab ipsius nomine dicti Donatistæ, hi cum propter contentiones de Cæciliano Episcopo Carthagenensi, primum quidem à communione cœterorum Afrorum, postea totius orbis se separassent, non tantum qui ab Hæreticis pessimis, sed etiam qui à Catholicis ad illos venirent rebaptizabant. Hoc breviter Augustinus Hæresi LXIX. docet. Donatiani vel Donatistæ, inquit, sunt qui primum propter Cæcilianum contra suam voluntatem ordinatum Ecclesiæ Carthagenensis Episcopum schisma fecerunt, objicientes ei crimina non probata, & maxime quod à Traditoribus Divinarum Scripturarum fuerit ordinatus, sed post causam cum eò dictam atq; finitam falsitatis rei deprehensi pertinaci dissensione firmata in hæresim schisma verterunt, tanquam Ecclesia Christi propter crimina Cæcilianii seu vera, seu quod magis iudicibus apparuit, falsa de toto terrarum orbe perierit, ubi futuræ promissa est, atq; in Africâ Donatig, parte remanserit, in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis extincta. Audent rebaptizare Catholicos, ubi se amplius hereticos esse firmarunt, cum Ecclesiæ Catholice universæ placuerit, nec in ipsis hereticis baptismum commune rescindere. Hæc Augustinus. Donatum ejusq; Assæclas secutus Cyprianus Ecclesiæ Carthagenensis Pastor: Cum enim quidam ex Episcopis Numidiæ Synodum, quæ Carthagini tum convenerat, de hæc quæstione consulissent, Cyprianus cum Synodo, consuetudinem quæ hæctenus obtinuisset omninò retinendam esse, & neminem foris extra Ecclesiam baptizari posse respondit, hæreticosque baptizatos, quicumque illi fuerint non rectè esse baptizatos, sed si quando ad Ecclesiæ suæ gremium accesserint baptizandos esse pronunciavit. Meam, inquit, in subscriptione Concilii Carthagenensis sententiam plenissimè expressit Epistola, quæ ad Jubajanum Collegam nostrum scripta est. Hæreticos secundum Evangelicam & Apostolicam contestationem adversarios Christi & Antichristos

appellatos esse, quando ad Ecclesiã venerint, unicò Ecclesie Baptismo Baptizandos esse, ut possint fieri de adversariis amici, de Antichristis Christiani. Illud autem Concilium Carthagine indixerat Cyprianus, & sexaginta Episcopos allegerat quos omnes Cypriano consensisse, & suis suffragiis in eandem sententiam descendisse *Magdeburgenses commemorant. Cent. 3. cap. 9. de Concil. pag. 195. seqq.* Cumque essent qui huic sententiæ non acquiescerent, sed aliud ante Agrippinum in Ecclesiã observatum esse dicerent, & hunc vetustiore morem illi postea recepto præferrent, ut ex Epist. LXXI. ad Quintum Mauritaniæ Episcopum patet, Cyprianus Majorem adhuc Synodum ex LXXI. Africae & Numidiæ Episcopis congregavit, quæ non tantum idem quod prior illa sancivit, ut ex Epistola LXXIII. ad Jubajanum discitur, sed de totâ re etiam ad Stephanum Episcopum Romanum Synodicam misit. Quæ tamen sententia Stephano I. Pontifici Romano minimè arrisit, sententiamque hanc minimè ipsi pervaserunt, sed plane fuit contrariæ opinionis, statuit enim conversos à quâcunque hæresi non esse rebaptizandos. Vigebant tum temporis exceptis paucis Montanistis Gnostici, insolitis utentes Baptismi formis, propter odiosas & insolentes quasdam de Divinitate, quam de personâ Christi tuebantur opiniones. Quamvis autem in confesso sit, illos in baptismis suis non adhibuisse eam, quæ nunc recepta est, formam, Ecclesia tamen Romana hæreticos cujusque generis indiscriminatim sine Baptismatis iteratione ad pœnitentiam admisit & manus converso imposuit. Cum itaque contrariæ planè assertioni Stephanus adstipularetur, irâ in eum exarsit *Cyprianus*; Unde etiam paulo acrius in eum invehebatur, & in Epistola LXXIV. ad Pompejum hæc subjicit verba; à quâcunque hæresi venientem baptizari vetuit, i. e. omnium hæreticorum baptismata justa esse & legitima judicavit. Et cum singula hæreses singula Baptisma-

ta & diversa habeant peccata, hic cum omnium Baptismo communicans, universorum delicta in suum sinum congesit. Hic itaque in defectu, ille vero in excessu circa baptismum adhibendum deliquisse censendus. Verum cum hæc ita simpliciter non sint dijudicanda, sed aliqua accurata investigatione seu distinctione opus sit, quod si illi attendissent, in talem errorem forte prolapsi non essent, hinc recte optimis nobis præeuntibus Theologis litem non ita crude dirimemus, sed quantum ad scopum opus erit, in sequentibus ostendemus & distingvemus.

§. II.

(I.) *Heretici alii sunt qui substantialia Baptismi immutant.* Substantialia Baptismi non est mutare, cum syllaba aut litera in verbis institutionis mutatur, neq; de industriâ corrumpitur, ita ut sensus maneat integer, quia non tam sonus quam sensus verborum Christi attendendus. Presbyter quidam Bavarus Latinæ Lingvæ ignarus baptizabat puerum in nomine Patria, & Filia & Spiritua Sancta. Unde turbæ sunt excitatæ in Ecclesiâ super quæstione, an puer ille rebaptizandus? statuit Pontifex *Zacharias* quod non, & glossa addit rationem, quia error syllabæ non nocet præsertim in fine dictionis; Vid. *Quendstedt* Part. IV. p. 135. *System. Theol.* num. 5. sed substantialia in Baptismo mutantur, si loco aquæ, aliud quidpiam usurpetur, & pro lubitu aliud quid adhibeatur, ut feceret Seleuciani & Hermiani, qui igne baptizandum esse statuebant, Jacobitæ qui loco aquæ, candenti ferrô characterem crucis fronti inurebant, eoque factò baptizatos jam esse dicebant, de quibus vid. *Vossius Diss. I. de Bapt. th. 2. pag. 27.* *Præteolus* in voce Jacobitæ, etiam de Flagellantibus memorat, quod asseruerint non aqua, sed proprio sanguine flagellis ex corpore expressò esse baptizandum. Apud *Nicephorum extat Lib. 13. c. 17.* quosdam Judæum periculosè decumbentem arena, quâ corpus ejus tri-
bus

bus vicibus asperferunt baptizasse, existimantes in tantâ pecuriâ aquæ arenam suffecturam esse, sed consultò *Dyonisio* Alexandriæ Episcopo aqua insuper initiatus est. Manichæi aquam non adhibebant, eo quod non à Deo sed à Diabolo creata sit. *Augustin. ad. Quodvult Deum heres. 46. Carlsadius* aquam rem indignam, ut in baptismo adhiberetur, statuit, adeo ut illam nominaverit Lavacrum canum, Balneum porcorum, & quæ cœtera scelestâ fuere nomina, quibus viliperderet aquâ in Baptismo usum. Pontificii nostri quoque deficiente aquâ, vino, lacte, baptizant, contra expressâ Christi verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non poterit intrare in regnum cœlorum Joh. III. 5.* Aut si verba vel plane mutantur, vel in nomine alterius baptizetur. Ut fecerunt Cataphryges & Paulianistæ, qui non baptizabant in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, *vid. Eder. in Mat. col. Heres. class. 2. in verb. Baptismi num. 1. Prateol. in Elench. Heres. Lib. 3. Heres. 10. p. 123. b. & l. 14. H. 12. pag. 389. b.* Arriani baptizarunt in nomine Patris, per filium in Spiritu Sancto, apud *Nicephorum Lib. 13. Hist. c. 35. Col. 1044.* Eunomeniani, qui baptizarunt non in nomine trium personarum Deitatis, sed in mortem Christi, ut habet *Socrates Lib. 7. Hist. Eccles. c. 24.* Nixi dicto Pauli Rom. VI. 3. *Nos in mortem Christi baptizamur*, in quibus tamen verbis non exprimitur forma Baptismi, sed tantum notatur causâ Efficiens nempe Christus Jesus, qui Baptismum instituit, itemque effectus & finis, quoniam ex Christo solo omnem Baptismus habet Efficaciam, nosque in doctrinam, fidem & confessionem Christi esse baptizatos docetur. *Epiphanius Heres. 76. Lib. 3. Tit. 1. p. 473.* de iisdem hæreticis refert eos baptizasse in nomen Dei in creati, in nomen Filii creati, & in nomen Spiritus Sancti sanctificati, & à creato Filio creati. Gnostici baptizabant in nomine ignoti Patris, in veritate matris omnium, & in nomine descendentis Jesu, teste *Iræneo L. 1. c. 18.* Talia si in baptismo mutantur, propriè substantialia mutantur.

§. III.

II. *Alii Heretici sunt, qui in Articulis, excepto eò, qui est de Trinitate graviter errant, imò nec in eò qui ipsum baptismum concernit recto incedunt pede, quales sunt Arminiani cum in hac doctrinâ secum consentientibus, & Pontificii, quorum illi inter alia, Baptismi effecta labefactant, & eum regenerationis signum saltem, non verò medium $\omega\epsilon\sigma\phi\epsilon\lambda\mu\epsilon\nu\omicron\nu$ constituunt. Hi verò statuunt, Baptismum esse primam post naufragium tabulam.* Concil. Trid. Can. 10. de Baptismo, & Bellarm. Lib. I. c. 18. multa $\pi\alpha\rho\epsilon\rho\gamma\alpha$ & superfluas ceremonias admittunt, illisque peculiare operationes assignant, ut ex eorum scriptis quisque videre potest, quanquam in essentialibus nihil mutant & baptizent in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.

III. *Alii tandem Heretici sunt, qui ore quidem Trinitatem Sanctam consentunt, in corde tamen aliter sentiunt de Trinitate, eamque hæresin in pectore clausam, lingua suâ reticent; Sicut etiam apud nos ejusmodi dantur, qui orthodoxiam simulant intus verò heterodoxiam sapiunt. Talis fuit Adam Neuserus Pastor Heidelbergensis, qui clam Hæresi Arrianæ addictus erat, infantulos tamen in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti baptizabat, quique deinceps Constantinopolin profugiens abjuratâ religione Christianâ circumcissione susceptâ Mahometismo nomen dedit; de quo legi potest *Osiand. Cent. 16. Hist. Eccles. Lib. 7. cap. 22.* Factâ itaque distinctione facillè apparet quid statuendum, quodque pro triplici istâ divisione Hæreticorum, triplex quoque ponenda erit assertio.*

§. IV.

Assertio I. *Hereticus, qui substantialia Baptismi observat, eaq; non mutat, verum administrat Baptismum.* Ad plenam & integram, ut dictum est, Baptismi substantiam requiritur, aqua cum verbo, & invocatio Trinitatis, sic ut aqua in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti effundatur baptizando.

B

tiam

tiam igitur & essentiam Baptismi observare, est eum juxta institutionem Christi administrare. Matth. XXVIII. 19. Unde etiam non impedit & infringit Baptismi veritatem, si in aliis fidei articulis, exceptò loco de Baptismo & Trinitate dissentiat, & ab orthodoxiâ recedat, quoniam hic tantum ad Baptismum attenditur, num rectè administretur. Si v. gr. quis Hæreticus Sacram Synaxin administret, eamque juxta præceptum Christi sub duabus speciebus sub pane nempe benedictio verum Christi corpus quod pependit in cruce, sub vinò benedictio sanguinem Christi pro peccatis hominum effusum adhibitis verbis institutionis porrigat, utique verè administravit S. Coenam ejusque efficaciam erit, quàm si ab orthodoxò Theologò fuerit administrata, licet in aliis articulis fidei non consentiat, sed dissentiat, utique tamen vera poterit nominari S. Coena, sic etiam Hæreticus ille verum administrat Baptismum si substantialia observet quamvis in aliis fidei articulis maximè sit contrarius. Id quod (2.) multis patet inductionibus sic circumcisio quam Zipora Mosis uxor infantulo conferebat, divinitus approbatur Exod. IV. 25, 26. cum tamen Zipora in Gentilitate nata & educata esset. Sic Benedictio illa, quæ jussu Dei à Bileamò Israeli dabatur Num. XXII. & XXIII. erat bona, & populo Israelitico valde conducibilis, quamvis Bileam veneficus esset, & eapropter mori deberet. Petr. II. 15. Prophetæ in V. T. sapissimè taxant idolatriam, & errores Leviticorum Sacerdotum, ad quos ordinariè circumcisionis administratio spectabat, nusquam verò illorum circumcisionem improbasse, vel ab aliorum manibus eam suscipiendam præcepisse leguntur. Quinimò Ezech. XVI. 20. cap. XXIII. 37. ipsi Deo Filios & Filias (per circumcisionis Sacramentum) genuisse Sacerdotes illi leguntur. Ita Pharisæi corruptissimum habebant ministerium, & in eo circumcisionem multis traditionibus pollutam, multi tamen
pii

pri Parentes infantes suos ipsis circumcidendos obtulerunt, quin & credibile est, Christum ipsum & Apostolos à Pharisæis circumcisos fuisse. Licet enim Pharisæi essent fures & Latrones Joh. X. 1. circumciso tamen in se erat ordinatio Dei, qui per manum impurissimorum istorum doctorum Sacramentum hoc administrabat. Quinimo Christus ipse, cum errores Pharisæorum & scribarum carpat, nusquam legitur eum circumcisionem ab ipsis administratam rejecisse, eum ipse disertis dicat verbis Matth. XXIII. 2. *in Cathedra Moſis ſedent Scriba & Pharifæi* v. 3. *quæcunq; igitur dixerunt vobis, ut faciatis, ea ſervate & facite* (quatenus in Cathedrâ Moſis ſedebant, id est doctrinam Moſaicâ doctrinæ conſentaneam proferebant, audiendi erant: quatenus Sacramenta Moſis præſcripto accommodatè adminiſtrabant miniſteriò eorum utendum erat) Licet itaque Scribæ & Pharifæi eſſent notorii & aperti Hæretici, injuſti, rapaces, & hypocritæ, ſic ut Chriſtus à fermento Pharifæorum & Saducæorû ſedulò caveri præcipiat. Matt. XVI. 6. nihilominus eos audiendos eſſe inculcat, quatenus nempe Moſaicâ doctrinæ conſentanea doceant. (3) Qualitas perſonæ nihil addit vel detrahit integritati Baptiſmi, non enim attendendum eſt quis baptizaverit hæreticus an orthodoxus, ſed in cujus nomine baptizaverit; viſ enim & efficacia non dependet à Miniſtro, ſed ab inſtituentis promiſſione & veritate. Sola enim eſt Dei gratia, & Dei Sacramentum, & hominis autem ſolum miniſterium, qui ſi bonus eſt, adhæret DEO & operatur cum DEO, ſi autem malus eſt operatur per illum DEUS viſibilem Sacramenti formam, ipſe Deus autem donat inviſibilem gratiam. Baptizant igitur & boni & mali miniſtri quantum attinet ad viſibile miniſterium, inviſibiliter autem per eos ille baptizat, cujus eſt, & viſibile baptiſma & inviſibilis gratia. Baptizare ergo poſſunt & boni & mali, abluere autem conſcientiam, non niſi ille qui ſemper eſt bonus; *Sordes*

enim & maculas mentis lavare non potest, nisi qui ejusdem mentis est Fabricator. ut loquitur Milevitanus Lib. V. contra Parmenicam. Quare sicut nihil refert ad efficaciam sementis & plantationis an lotis manibus an vero sordidis id fiat, modo bonum sit semen, & terra fertilis, nec desit calor Solis, & pluvia de Cœlo. Sic nihil quòque refert ad efficaciam ipsius S. S. Baptismi, an minister orthodoxiâ an vero heterodoxiâ sit imbutus, dummodo in baptismo substantialia adhibeat, quia ibi ad Deum Baptismi institutorem respiciendum est, non ad ministrum qui baptizat. Huc spectant verba illa emphatica *B. Lutheri* Tom. VI. *Jen. Germ. Part. 3. serm. de Baptismo Fol. 206.* inquietis: Wir wollen nicht überall auff Menschen/ sondern auff Gottes Werck bauen/ welches nicht allein gewis ist/ noch feiliget/ noch treugt/ sondern auch wenn es einmahl geschicht (verstehe Christi Anordnung seinen Wesentlichen Stücken nach) ewig bleibt und gilt das man nichts darf endern/ noch wieder verneuen/ wie etwa mit Menschen Thun und Wesen sich endert und wandelt. H. I. Quare optimè *Anselmus* in cap. 3. *Eph. Baptisma à quòcunq; datum fuerit, sive à bono sive à malo, sive à Catholico sive ab Hæretico juxta morem Ecclesie in nomine S. Trinitatis, scilicet Patris, Filii, & Spiritus Sancti, tantundem valet.* H. J. Ideoq; non rebaptizantur apud nos illi, qui in Papatu à superstitionis Hæresi multiplici adopertis Sacrificulis fuerunt baptizati, quia apud illos ad hæc usque tempora salva & illibata permansit substantia & forma Baptismi à Christo instituta & præscripta, idque ex singulari & plusquam paternâ providentia DEI, ne sub densissimis tenebris Papatus omnes perirent, sed ad minimū infantes mox post baptismum hinc discedentes salvarentur, etiamsi quædam humanitus inventa Baptismo annexant, variasque superstitionas ceremonias inter baptizandum misceant juxta Versiculos:

Sol,

*Sal, oleum, Chrisma, cereus, chrismale, Saliva,
Flatus: virtutem Baptismatis ista figurant.*

Minimè tamen ob ceremonias hæc rebaptizandos esse statu-
unt autores ad unum omnes. *Augustinus Epist. 203. ad Maximum
dicit; rebaptizare Catholicum, scelus est inmanissimum.* Ex recef-
sibus Imperialibus hoc decretum: Die so einmahl nach Chri-
stlicher Ordnung sind getaufft worden / und sich wiederumb
oder zum zweyten mahl tauffen lassen / oder wer derselbe einigen
wieder tauffen würde / ist solches zu geschehen in Kayserslichen
Gesetzen bey Straff des Todes verbohren. *Recess. Spirensi de
Anno 1529. pag. 190. & Danhauerus de Sacr. I. art. IV. p. 118. ait
Quod Episcopus Romanus baptizat, verè baptizati sunt, & si ipse
simus sit Antichristus; habet enim vocationem ut Episcopus, non ut
Antichristus.* H. I. Eos itaque vere baptizatos esse asserimus.
Nec Arminiani ad Ecclesiam Lutheranam sese convertentes
rebaptizantur, quamvis multos errores de secundâ personâ
Trinitatis circa omnipotentiam ejus circa operationes Spiri-
tus S. in ipsa quoque actione Baptismi exorcismum nostris Ec-
clesiis usitatum omittunt, & Baptismum signum tantum rege-
nerationis statuunt. Interim tamen baptismum habent verum
quia substantialia relinquuntur integra, & quod tres sint per-
sonæ, in quarum nomine sit baptizandum, ab ipsis creditur.
Mancit ergo ex dictis satis firmum Baptismum ab Hæretico
substantialia non mutantem collatum esse verum, legitimum
& optimum.

S. V.

Obj. I. Sed diceret quis: Quicumque vera Ecclesiæ mem-
bra non sunt, illi nec opera veræ Ecclesiæ, sub quæ comple-
tuntur etiam Sacramenta, agere possunt; Atqui Hæretici
vera Ecclesiæ membra non sunt, Ergo &c. Antequam ad
ipsum respondeamus; distingvimus inter membra Ecclesiæ
interna & externa. Interna Ecclesiæ membra sunt, quibus spi-

ritualis cum Christo intercedit compages & conjunctio, per quam Christo capiti junguntur, ut dicitur ad Eph. IV. 15. 16. unde etiam *os ex ossibus ejus & caro de carne ejus* dicuntur Eph. V. 30. Quæ verâ fide donati, per Spiritum Sanctum regenerantur, illuminantur, sanctificantur, & Christo inseruntur, & hac ratione sunt interna Ecclesiæ membra. Externa vero Ecclesiæ membra sunt, quæ tantum externâ quadam Societate, quæ in professione fidei & usu Sacramentorum consistit cœtui congregatorum, sive Ecclesiæ visibili sese conjungunt, internâ regeneratione & Sanctitate destituti. Illi sunt vera & viva Ecclesiæ membra, quæ à Christo capite vitam ac Spiritum hauriunt, hi sunt membra putrida & emortua, illi pertinent ad Ecclesiam interne, hi externe; illi respectu interioris & Spiritualis cum Christo conjunctionis, hi respectu externæ consuetudinis professionis & Societatis cum cœtu vocatorum; Illi ut de anima & corpore Ecclesiæ pariter, hi ut de corpore & non de anima. Factâ itaque hacce distinctione, facilis ad argumentum erit responsio. Nimirum limitanda erit Major propositio: Quicumque Ecclesiæ membra non sunt, *neq; interna neque externa*, illi nec opera Ecclesiæ agere possunt: Atqui Hæretici neque interna neque externa Ecclesiæ membra sunt. Ergo. & sic negatur Minor; licet enim non sint interna Ecclesiæ membra, ratione formæ internæ, scil. Fidei & communionis spiritualis, illa enim destituuntur; sunt tamen externa visibilis Ecclesiæ membra, quoniam gaudent externâ professione fidei, & externi usus Sacramentorum, sic v. gr. quatenus Hæretici verbum Dei prædicant, sunt externa Ecclesiæ membra, quoniam Christo tantum linguam accommodant, quamvis propter errores alios ab unitate corporis mystici Christi sint separati. Deus enim & per corruptum ministerium sibi potest colligere Ecclesiam, ut contigit temporibus Eliæ I. Reg. XIX. 18. Proinde vitiosa plane est argumentatio,

tio, quæ cum jam refutata sit, non facit assertionem nostram dubiam.

§. VI.

Obj. II. Si illi habent verum baptismum; habent etiam veram fidem, remissionem peccatorum, & salutem æternam. Respondéo Negando Consequentiam: Si verum habent Baptismum; habent etiam veram fidem simpliciter? nego: habent veram fidem secundum aliquid, scilicet essentialia Baptismi, concedo: instantia enim ex ante allatis afferri potest; Pontificii habent verum Baptismum, nec tamen veram fidem simpliciter. Hæretici enim verum Baptismum habere possunt & fidem veram circa illum; at fidem veram non possunt habere simpliciter secundum omnia, quatenus & quamdiu sunt hæretici; unde nec remissionem peccatorum aut salutem æternam conservant, quos illi baptizant, non quod verum baptismum non dent, sed quod per idolomaniam & alios errores proæreticos Baptismi virtutem destruant. Oportet autem & Baptismum esse legitimum & fidem veram post Baptismum, ut remissionem peccatorum & salutem quis adipiscatur. Et ita de adultis se res habet, qui non tantum ab Hæreticis baptizantur, sed ipsi quoque Hæretici sunt, quoniam in illam religionem in qua antea instructi sunt baptizantur. De infantibus vero conceditur, eos etiam per Baptismum ab Hæreticis substantialia servantibus datum, peccatorum veniam, & si infantia moriantur, salutem æternam consequi; quia Baptismum uti institutus est, suscipiunt, nec obicem gratiæ Divinæ ita, ponere per atatem possunt, ut adulti, effectus etiam seu fructus Baptismi fiunt participes.

§. VII.

Assertio II. *Baptismus qui ab Hæretico substantialia mutante confertur, non est verus Baptismus.* Tales Hæretici sunt *Arriani*, qui convellunt articulum de S.S. Trinitate, & negant tres per-

personas in una essentia Divina, & baptizant in Deo, in Jesu Christo Salvatore & creatura, & in Spiritu Sancto utriusque servo; ut testatur Hieronymus. *Photiniani* baptizant quidem aqua in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ast ex propria mente & suae Ecclesiae, substantialem internam & invisibilem hujus Sacramenti partem Verbum nempe & in Verbo S.S. Trinitatis mysterium nequiter pervertunt, & evertunt; Tales & his similes Haeretici, non verum administrant Baptismum, Quoniam (1.) ab institutione Christi recedunt, detrahuntque verbis Christi, dum immutant in eis illud, quod non esset immutandum, & quod notam haereseos conciliat: Quod enim Deus in V. T. dixit: *Ne addite ad verbum illud, quod ego praecipio vobis: neque detrahite de eo, ut servetis praecepta Jehovae Dei vestri, quae ego praecipio vobis,* Deut. IV. 2. id merito de praeccepto in Baptismo observandum, nihil nempe esse addendum formulae à Christo institutae, nec detrahendum eidem. Additione enim nulla opus habet, cum sit perfectissima; plena enim & adunata exprimitur SS. Trinitas, nullaque gaudet obscuritate; cuilibet namque Christiano notum est, quid sit Deus, quare nulla additione opus habet. Adeoque in hac formulam sive additione, si quando persona humana, v. gr. Maria vel alius aliquis Sanctus additur, sive detractio, quod grave peccatum est, à formula Christi receditur, & per consequens verus Baptismus esse nequit (2.) Optima est Consequencia: Ubi pars essentialis in Baptismo omittitur, ibi non est verus Baptismus. Sic si pars essentialis homini, v. gr. anima deest, non est verus homo, sed cadaver vita carens, ita si substantialis pars Baptismo deest, non est verus Baptismus; & proinde sequitur, illos qui ejusmodi Baptismo sunt baptizati, non verè esse baptizatos, sed quando se convertunt, & à sua religione deficiunt, rebaptizandos esse. Unde etiam Concilium Nicænum cum alios omnes ab Haeticis non sub-
 stan-

stantialia mutantibus baptizatos reciperet, Pauli tamen Sarmofateni Sectatores, eò quod non juxta institutionem Christi baptizarent, denuò baptizandos decrevit, ut Canon ejus 21. (in Tomis Concilii XIX.) ita habet: *Ἐπι τῶν Παυλιανιστῶν εἶτα ἡ εὐσφουδόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ὄρθ. ἐκτίθεισῶ ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξέπαντος.* De Paulianistis, qui postea ad Ecclesiam confugerunt, statutum est, ut ii omninò rebaptizentur. Unde hoc Augustinus lib. de heres. ad Quod vult Deum Heresi XLIV. docet, verba ejus hæc sunt: *Illos sanè Paulianos baptizandos esse in Ecclesiâ Catholica Nicæno Concilio constitutum est, unde credendum regulam Baptismatis eos non tenere, quam secum multi Heretici cum de Catholica discederent, abstulerunt eamq; custodiunt.* H. I. Sed etiam in genere loquitur Augustinus, vel quicumq; alius Autor lib. de Ecclesiâ dogmatibus cap. 52. *Illos qui non sanctæ Trinitatis invocatione apud Hereticos baptizati sunt, & veniunt ad nos baptizari pronunciamus, non rebaptizari, neq; enim credendum est, eos fuisse baptizatos, qui in nòmine Patris, Filii, & Spiritus Sancti tincti non sunt.* H. I. Ubi itaq; nullus Baptismus est, ibi neque Baptismi effectus adesse poterit,

§. VIII.

Assertio III. *Hereticus, qui ore suo juxta institutum Christi baptizat, in corde tamen aliter sentit, seu de Trinitate dubitat, verum administrat Baptismum.* Statuunt equidem Pontificii ad Baptismi efficaciam & integritatem necessariò requiri ministri intentionem, quæ non tantum respiciat externum actum conferendi Baptismum, juxta formam institutionis, sed & ipsum finem & effectum Baptismi. Sic enim Concilium Tridentinum Sess. VII. Can. XI. habet: *Si quis dixerit: dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Et Toletus Lib. II. cap. 16. *In ministro necessaria est intentio Sacramentum conferente, qua siue qui faceret, nullum conferret Sacramentum.* Nec Novatiani,

contrariæ sunt opinionis, sed intentionem baptizantis ad formam baptismi requiri asserunt. Nos verò dicimus intentionem Ministri Baptizantis, nihil addere, vel detrudere integritati, essentiæ & fructui Baptismi. *Incredulitas enim hominum non facit fidem Dei irritam*, Rom. III. 3. Si enim nihil quoad fructum interest in prædicatione verbi *seve per occasionem seve per Veritatem Christus annuncietur*, Phil. I. 17. nihil quoque derogabit efficaciam ipsius Baptismi intentio ministri, in corde abscondita & non ore expressa. Afferunt hoc Wittenbergenses Tom. II. Disp. Theol. inquires: *Verus insuper est Baptismus, etiamsi fuerit minister in articulo ipso de Trinitate Hereticus, sed clandestinus; quia Sacramentum non est istius Heretici, verum totius Ecclesie, cujus Ecclesie preces in actu Baptismi, invocatus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus exaudit*. Disp. II. th. 110. p. 761. Et eleganter Ægydius Hunnius, *Quando in Ecclesia aliqua, que de Trinitate recte sentit minister est Arrianus, sed occultus; nequaquam Heretica Impietas cedit infanti in fraudem. Quandoquidem Baptismus non est Ministri, sed Ecclesie bonum, que est quasi materfamilias in domo Dei viventis, que etiam suas preces in actione Baptismi conjungit. Et principalis Baptizans est Christus, cui baptizandi offeruntur & commendantur parvuli*. Articulo de Sacramentis cap. 13. p. 121. Id quod etiam luce meridianâ clarius est; Nam defectus ille interioris intentionis in Hæreticò est peccatum personale, quod utique vim & efficaciam Sacramenti infringere nequit; illud enim quod confert Minister Sacramentum administrando est Thesaurus alienus non in illius potestate situs, itaque non pendet vis & efficacia Sacramenti ab administrantis intentione; si enim penderet efficacia Sacramenti ab Intentione Ministri nemo certus esset, se Sacramentum accepisse, nemo Christianus sciret se rectè esse baptizatum, adeoque solatium ex Baptismo vacillaret, si ab arbitriò ministri impii salus infantis baptizati penderet. Huc spe-

spectat illud *Augustini Tract. V. in Johann. Quid faciat minister malus, ubi bonus est Dominus? quid impedit malitiosus praco ubi benivolus est Judex? Baptisma tale est, in cuius potestate datur, non qualis ille per cuius ministerium datur.* Ex dictis itaque fluit intentionem non requiri ad efficaciam Baptismi ejus, qui administrat, dummodo verba institutionis legitimè observet. Proinde itaq; verum esse baptismum & illum pronunciamus.

S. IX.

Sed quæret quis? Quoniam ergo nonnulli Hæretici substantialia Baptismi non mutant, eruntne promiscuè infantes eis offerendi? Respondeo. Cū ministri orthodoxi copia alibi potest haberi, & parens infantem suum Hæretico ministro sponte ad baptizandum offert, gravissimè peccat, & veritatis confessionem quodammodo abnegat. Quoniam Christus ipse inquit cavete vobis à falsis Prophetis &c. Matth. VII. 15. Jugum ducere cum infidelibus nolite 2. Cor. VI. 14. & 15. Quæ convenientia Christi ad Belial? Hæreticum post unam atque alteram admonitionem devota inquit Paulus Tit. III. 10. Si quis venit ad vos & doctrinam hanc non affert, nolite eum recipere in domum, neave ei dixeritis Joh. II. Ep. 10. Exite de illa populus meus, ut ne participes sitis delictorum illius Apoc. XVIII. 4. Secus enim Hæretici in suis erroribus confirmarentur, nos multarum blasphemiarum & abominationū, quibus Hæresis ipsorum est referta, participes redderemur, scandalum præberetur infirmis, de quo Christus dicit, vae homini per quem scandalum venit Matth. XVIII. 7. Hoc magis judicate, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum Rom. XIV. 13. & Ecclesiæ falsæ fides approbaretur. In defectu vero puri Ministerii, ut sit in Ecclesiâ pressâ ubi nec in vicinia sincerus Ecclesiæ Minister haberi potest, sed tantummodo Hæretici, non tamen substantialia Baptismi mutant. Utatur sane ministerio Hæretici, sed præmissa protestatione se infantem in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. & quidem aquâ bapti-

zaturum : Sic Maria Christum infantem non ipsa circumcidit, sed per eos qui tū temporis in corrupta Ecclesiā docebant, circumcidi voluit; hoc pacto nihil ejus conscientia perturbabit, si ejusmodi Hæretico idque in casu summæ necessitatis infantem offerat, quamvis deinceps crescente ætate ejus informationi concedere filium non teneatur. *Sed excipis.* Multi Hæretici ut v. g. Pontificii habent baptismum superstitionibus reter- tum. Respondeo : id Baptismo in substantialibus non mutato nihil derogat, cum non ex accidentibus illis, sed ex substantia Baptismi, quæ non est ab hominibus sed à Deo de ejus effica- ciâ judicetur.

§. X.

Si verò nec talis Hæreticus, qui substantialia Baptismi non mutet ibi locorum detur, ubi parens veræ religioni addictus vivit, sed tantummodo Hæretici substantialia mutantes, ut A- riani &c. quid Parenti cum infante Baptizando agendum. Re- spondeo: Extrema quævis potius hic præferenda sunt, Primo omnium orthodoxus Ecclesiæ minister per aliquot etiam millia non obstante vel itineris vel sumptuum dispendio quærendus si haberi talis nequeat, ut salutem infantis consulatur, præstat ipsos Parentes proprium baptizare infantem, quemad- modum tempore persequutionis Antiochenæ etiam mulieres suos circumcidebant liberos. 1. Macc. I. 2. Macc. VI. Sacra- menta enim sunt Symbola religionis & confessionis. Gen. XVII. 11. Exod. XII. 13. 1. Sam. XVII. 36. qui ab ejusmodi Hæ- retico baptizantur, participant symbola religionis ipsorum, quod factum speciem mali præ se fert, à quâ abstinere jubet Apostolus 1. Thess. V. 22. Hac etenim ratione antefendus privatus homo Christianus, qui verè in Christum credit ei, qui non credit in eum, *cum ille sit de gente sanctâ & regali sa- cerdotio* 1. Petr. II. v. 9. Huic assertioni assentitur Augustinus & testatur in scriptis suis, maxime approbans illud quod in- pri-

primitivâ Ecclesia noluerint baptizari à Donatistis, & addit Osiander in suis Centuriis Cent. I. fol. 90. quod qui à notoriis hæreticis infantes suos baptizari curaverint, excommunicati fuerint.

§. XI.

Quid autem de illo Baptismo sentiendum, cum hæreticus quis in nomine Trinitatis absque expressione speciali personarum Deitatis baptizaverit, an verus ille & legitimus sit Baptismus? Respondeo quod non: cum à formula baptizandi à Christo instituta recedendum non sit, ut jam §. VII. dictum, etiamsi quis Hæreticorum in nomine Trinitatis generaliter baptizet, peccat tamen in eo quod à formula Christi qui dicit baptizandum esse, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, recesserit, nec cum Ecclesia personas, sed nomina tria solum crediderit. Baptismus iste in nomine Trinitatis hac ratione factus, non est verus Baptismus, verba enim divina imprimis valent sicut nummi. Æquipollentes hic Phrasæ, ut Baptizari in nomine Trinitatis, aut in nomine Patris Filii & Spiritus Sancti nihil proficiunt, si verbum & institutio Christi non sint immutanda. Hinc talis pro baptizato non habendus; formula enim Baptismi apud Matth. XXIIII. 19. retinenda & non immutanda est. Vid. D. Quendstedt Part. IV. p. 134. Syst. Theol. Imo si antiquitus Baptismus Arrianorum juxta formulam usitatam administratus non valebat, ut testatur Athanas. contra Arrianos, quidni ista singularitas in Ecclesia adhuc valeret; unde rectè concludit D. Quendstedt L. C. pag. 108. *Baptismus qui ommissa vel mutata, aut mutilata, quam Christus expressit formula administratur, inanem esse & invalidum.*

§. XII.

Sed quid de Baptismo Hæretici *in nomine Christi* facti sentendum? Videtur enim hoc substantialia mutare, dum ab institutâ formula receditur, & duæ Deitatis personæ omittuntur

erit-

eritne talis Baptismus genuinus, verus & non iterandus? statuunt Pontificii nonnulli eum verum esse, alii semel adhuc sub conditione instituendum volunt cum Bellarmino *L. I. de Baptismo cap. 3. Certum est Baptismus aut absolute aut sub conditione repetendum esse, si detur in nomine Christi, aut alterius cuiusve persona, sine expressione aliarum.* Nos eam Baptismi formulam illicitam pronunciamus, adeoque gravissimè peccare Hæreticum & magnâ poena dignum esse, quod à sveta recesserit formulâ, & in nomine Christi tantùm baptizaverit, cum alia sit præcepta in Scripturis Formula Matth. XXII. 19. Validior etiam est Baptismus ille, si scilicet sine conditione instituat, juxta nostram Ecclesiæ Agendam pag. 40. Si nobis objicitur Lutherus in Lib. de Captiv. Babyl. c. de Sacram. Baptismi Tom. 2. Latin. Fol. 97. inquit. *Quocunque modo tradatur Baptismus modo non in nomine hominis, sed in nomine Dei tradatur, vere salvum facit.* Ubi etiam addit: *Apostolos baptizasse illo ritu in nomine Christi.* Verum respondere possumus cum D. Quenstedt Tom IV. pag. 135. System. num. 3. qui testatur: *Lutherum eò tempore, quo scripsit librum hunc, multis erroribus adhuc obnoxium fuisse, hanc tamen sententiam postea correxisse, & non nisi ex mandato Dei baptizandum esse, diserte docuisse Tom. VII. Jenes. Fol. 403.* Nec obstat quod Brentius in suo Catechismo scribat cap. de Baptismo. *Verus est Baptismus, si minister post recitatum à Catechumeno Symbolum fidei, ita diceret: audivi jam ex te, quod credas in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; in hanc igitur confessionem intingo te in aquam, ut hoc signaculo certus sis, te esse insertum Christo Salvatori tuo; Vade in pace.* Monet enim etiam non esse recedendum à Christi præscripta formulâ. Quibus dissertationem nostram concludimus, dicentes.

SOLI DEO GLORIAM.

00 A 6445

ULB Halle

002 937 573

3




5b.

12

1017

HL 96.







DISPUTATIO THEOLOGICA, 49 95
DE

BAPTISMO HÆRETICORUM,

Quam
SUB AUSPICIIS JESU CHRISTI BAPTISMI
VERI AUTORIS,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,

REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HÆREDE &c. &c. &c.
CONSENSU VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ,
IN INCLYTA, QUÆ EST, AD PREGELAM, ACADEMIA,
SUB PRÆSIDIO
VIRI MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI atq; EXCELLENTISSIMI
DOMINI

PAULI POMIAN PESAROVII.
S. Th. D. & Prof. Publ. celeberrimi, Fac. Th. h. t. Decani spectabili
Eccl. Cathedr. Past. vigilantissimi & Consist. Samb. Alieff. gravissimi.
PATRONI, FAUTORIS, & PRÆCEPTORIS SUBMISSA MENTI

Veneratione ad cineres usque colendi,
Placida τῶν θεολογῶντων Συζητήσεω submittit
Dissert. Autor

WILHELMUS WILCKE,

Memela-Prutenus. S. Theol. Stud.
Ad diem Junii Anno M DCC CV.
IN AUDITORIO MAXIMO, H. C.
REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

